



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XII. Restitutio alieni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

nis nostræ fracti protinus, & confusi, resili-
mus, S. Gregor. hom. 3. in Evang.

In his ad conscientiam redeo, ad mentis
meæ secreta recurro: certus, quia, nisi pro
amore Christi, cujus ego malus servus sum,
nullius mortalis hominis gratiam quæro, nul-
lius iracundiam pertimesco. B. Petrus Dam,
ep. 4. ad Leonem IX. Papam.

Scitis, qualiter est de obloquentibus, & de-
sistentibus à bono incepto? sicut de parvo, puero,

qui à matre mittitur aliquò: qui ex latratu cani-
culi timet, nec audet transire; imò revertitur:
cùm tamen caniculus ei nocere non possit.
Talis stulticia est eorum; qui ex locutionibus
hominum non volunt vitam continuando tran-
sire. Pater noster Christus, & Mater Ecclesia,
mittit nos; ut vadamus ad civitatem paradisi.
&c. S. Vinc. Ferr. l. 2. D. 3. Adv.

Vide Pudor, Timor hominum.

TITULUS XII. RESTITUTIO ALIENI.

§. I.

Aggè sit.

EGo faciam, quod iussisti. Et ille: jura
ergo mihi. Gen. 47. 30. Petit à filio pa-
ter, ut post mortem cadaver suum de-
ferat ex Ægypto, illudque sepeliat in terra Cha-
naan. Spondet filius: ità se facturum; & ad-
huc jurejurando obstrictum cupit Josephum.
Oleaster hïc: parum curant filii, quidquid
parentes injunxerint; noveratque hoc prudens
senex: ideo filium jurare cogit; ut sollicitus sit
implere, quæ vult. Esset mihi hïc amplus lo-
cus arguendi filios, qui nihil minùs curant,
quam quæ parentes in morte præcipiunt. E-
quisque judiciis Dei parentibus hoc evenit:
qui, propter filios evchendos, aliena furripere
non cessant; ut nihil emolumentum ab eis post
mortem recipiant. Alvarez Illustr. 309.

*Fuit Arca Domini in regione Philistino-
rum septem mensibus.* 1. Reg. 6. 1. Cur tam-
diu? quia peccatores ad restituenda debita dif-
ficilè adducuntur. Mendoza hïc.

Noli attendere ad possessiones iniquas.
Eccli 5. 1. Nihil est, quod æquè multorum
conversionem retardet, quam nolle restituere
ablata: ut enim retia amplam habent portam,
in quam pisces ingredientur; angustam autem,
ut egrediantur: sic avari, ad accipiendum os
habent latum; ad reddendum angustissimum.
Octavianus hïc.

*Vae ei, qui multiplicat non sua! usque-
quò, & aggravat contra se densum lutum?*
Habac. 2. 6. Nota: non ait contra alios, sed
contra se: ut enim alteri benefaciat, amore
crudeli perdit seipsum &c. Segneri. l. 13. die
Mercurii D. 2. Quadr.

Quatuor sunt hominum genera pertinaci-
ter obstinatorum: scilicet tyrannus in reten-
tione domini, hæreticus in pravitate fidei,
assvetus verbis improperii, & possessor alienæ
rei. S. Thom. Aqu. opul. 37. c. 4.

Peccatum paralyti simile, quoad pulsus:
nam pulsus paralyti est tardus, rarus & debi-
lis. Pulsus autem, cùm procedat à corde, &
derivetur ad manum; designat bonum propo-
situm cordis. Tardè, rarè, venit in opus, ma-
ximè in usurariis: quia, licèt aliquando com-
pungantur, & restituere proponant; rarè ta-

Polyanthea Sacra, Tom. II.

men bene restituunt; aut differunt usque ad
mortem. Geminiani l. 6. c. 52.

Usurarius moriens hortanti ad pœnitentiam
respondit: nimis tardè est; jubensque sibi af-
ferri pecuniam, ait: heu! cum quanta sollici-
tudine vos acquisivi! & nunc propter vos ani-
mam perdam! nec tamen restituit. Broymard,
Restitutio.

§. II.

Restituentium exempla.

ET replevit carnem pro ea. Gen. 2. 21. Quàm
bonus Dominus, nostrique amans; nostra,
quæ sua potius sunt, exposcit; & in nostram,
non suam, utilitatem; & tanquam debitor mox
exolvit: docens, solvenda esse debita, restitu-
endumque ablatum. Persuasum mihi habeo, nul-
lum delictum adherere tenaciùs animo; nul-
lum sanari difficiliùs; quàm vitium eorum, qui
alienis potiuntur, & reddere in vita, imò nec
in morte, patiuntur. Fernandus hïc.

Surgite, & egredimini à populo meo. &c.
Ex. 12. 31. Pharaos, obstinatissimus tyrannus,
qui Deum nescit, qui abs se nunquam dimit-
tendum Israël restatus est; uno filii funere
ità mollitur; ut suo edicto lituras inducat,
emittat subjectos, armenta abire permittat
cum prolibus, spoliari opibus urbes patiatur.
Tu verò, non Nilò, sed Jordane, inundatus;
qui Deo militas: qui inter Israelitas novæ legis
es coopertus; non frigente cadavere filii, sed pu-
trescente corpore tuo, alienam pecuniam domi
retines; quæ oppressisti, non relevas; animam
agis, & rem tuam agis, non quasi senex mori-
turus, sed quasi modò genitus infans: lac opum
exugis, & spiritum efflas; ut tecum sit pecu-
nia, planè non tua, in interitum? Duriore jam
Pharaone sumus: & si Nilo innatant crocodili,
harpæ lasciviant in Jordane. Oliva fer. 6. Dom.
4. Quadr.

Oves vestras - assumite. Ex. 12. 32. dicebat
Pharaos: & Christianus, ut oves retineat, depu-
tari non veretur inter hædos. Quanam, rogo,
hæc navigandi ars? conflictatà onerariâ, ne ja-
cias merces, navarchum dejicere in profun-
dum? Nè domò aurum efferatur, tu te infe-
res orco; cælò exclusus, quòd rapinas domò
non excluderis, Id. ib.

Ccc e

Videte;

Videte, ne forte furivus sit. Tob. 2. 21. Tobia unicus filius erat, spes una stirpis: quem licet tenerimè amaret; nihil tamen minus cogitabat; quàm illicitis eum artibus ditare. Cum hœdum aliquando domus suæ balantem audiret, mox exclamavit: *videte &c.* Quidquid præterea necessario familiae victui subtrahere poterat, summâ charitate in egenos, incarceratos, pupillos, largitus. Curas filio de se ut eximeret, vocatum ita solatus, *noli timere, fili mi - pauperem quidem vitam gerimus &c.* Tob. 4. 23. An inania hæc promissa? Brevi filius selectissimam sponfam, dotem largam, affinitatem honoratam, hæreditatem amplissimam, nactus. Sic monere filios deberent parentes. *Melius est modicum iusto super divitias peccatoris multas.* Pl. 36. 16. Segneri f. 13. die Merc. D. 2. Quadr.

Retulit triginta argenteos. Matth. 27. 3. Suspecta salus illius est, qui injuste pecuniam acceptam non in præsentem restituit; sed protrahit, usque dum mortuus sit. Heu! quam miserè falluntur! cum ab ipso Juda, omnium avarissimo, condemnentur: qui nihil prius ante mortem statuit; quàm pecuniam refundere. Bæza. t. 1. l. 4. c. 3. §. 6.

Reddo quadruplum. Luc. 19. 8. Non dixit, dabo dimidium, & reddam quadruplum; sed, *ecce do, & reddo.* Audierat enim Salomonis admonitionem: *ne dicas, rediens redi, & eras dabo.* Christus evangelizat ei salutem: hodie das; hodie tibi & salus. Theophylactus hic. *Reddo*, non in longa tempora cogitationem differo; non ad testamentum remitto; sed jam solvo, & restituo. Bæza antè cit. Quis docuit Zachæum, alienæ pauperum fortunæ raptorem, restituere? S. Chrysof. f. de publ. confitetur fraudes; ipse se iudicat, ipse se condemnat: non vult apud se rapinarum quidquam residere; ut possit Judici Christo placere. Formidabat districtam examinationem Domini fraudulentus egenorum exactor: ideo hic donis placatum inveniri cupit Judicis vultum. Arcones in If. 3. 13. Disc. 2.

Pauperi mulieri cum unicum porcellum lupus rapuisset, confestim accurrit ad S. Blasium, ut illum à lupo sibi restitui præciperet: quod & factum. O duritiam nostram! virtus S. Blasii movit cor lupi ferocissimi ad restituendum porcellum; & tu fur, latro, non ex præcepto Blasii, sed Dei, non vis restituere furtum? S. Vincent. Ferr. f. de S. Blasio.

Narrat author vitæ S. Annonis Ep. Colon. S. Annonis tomò ult. 1. 2. c. 14. muscam, dum S. Anthonis ad aram faciebat, particulam hostiæ consecratæ furatam avolasse. Verùm illam precibus, & lacrymis S. Annonis compulsum, cum stridore revolantem, super patenam restitisse; & in temeritatis suæ pœnam, seorsim super altare exanimem corruisse.

§. III.

Non restituere, noxium, periculosum.

Achan tulit aliquid de anathemate. Jos. 7. 1. Illicitis artibus ditare suos volebat

Achan; dum, contra Dei vetitum, aurum inter spolia Jericho sublegit: unde & ipse, & familia tota, flammis absumpta est. v. 25.

Vinea erat Naboth Jezabelitæ &c. 3. Reg. 21. 1. Iniquis modis ditare suos voluit Achab, dum vineam Nabotho injustè rapuit. Propterea violentâ morte periit, stirpe ejus totâ excisâ quindecim annorum spaciò. 4. Reg. 10. 17. *percussi qui reliqui fuerant omnes de Achab.* Cur ergo ad amplificandas familias vestras: iis artibus utimini, quibus eas destruitis? An creditis, illas iratò Deò stabilem ætatem laturas; qui familias tam copiosas, & potentes, in nihilum redegit? Cum fabricam molimini; non hyeme ædificatis sed ver, ætatem, expectatis: quia ædificia hyeme erecta ætatem non ferunt: frigore enim calx enervatur; unde lapides firmiter hæere non possunt. Eccl. 21. 9. *qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hyeme.* Segneri. f. 13. Dom. 2. Quadr.

Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me. Pl. 48. 6. S. Chrysof. hic: quid timebo in die malo? unum tantum: nè fortè viæ meæ, & vitæ iniquitas, me circumdet, scit, Scripturam fraudem vocare calcaneum. Theodoretus: calcaneum aliqui iter vitæ nuncuparunt: ego verò opinor, fraudem significare: ex translatione eorum, qui currunt; qui calcaneò sæpius adversarios dejiciant. Juxta hos Patres David, super omnes improbitates, iniquitatem calcanei, fraudis, & direptionis pauperum, adstruit, à principibus, & dynastis, pertimefcendum. Arcones in If. 3. 13. Disc. 2.

Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo &c. Dan. 4. 24. Cur nihilominus ejus dubia salus est; quem, post actas Deo gratias, peccasse nescimus? imò plerique affirmant, cælò exclusum? audi causam Dan. 5. 2. *quæ asportaverat Nabuchodonosor pater ejus de templo.* Cantica facile concinnantur; sed injustè ablata non facile redduntur. Etiam Achab 3. Reg. 21. 27. respersus cinere jejunavit: non tamen Nabothi vineam, quam innocentis cruore rapuerat, restituit hæredibus. Sic etiam Antiochus fatetur, se mori ob sublata è templo vasa. 1. Machab. 6. 12. non tamen ea reddi curavit. Cinis, & saccus, etiam in rege spectantur; at rapinæ nec in favilla, & cinere, expiantur. Oliva l. 3. Strom. §. Nunc igitur.

§. IV.

Restituendi motiva varia.

Effice ancillam hanc, & filium ejus. Gen. 21. 10. Plerique negotiari desinunt, quòd illinc infectos se videant rapinis, & dolò. Mercatura abrupta est, gaudeo, quòd Agar exulet: Ismael verò cur non exulat? lucrum illud, imò rapina illa, cur in arca concluditur? Zachæus non modò desit esse publicanus; sed & fraudes in quadruplum reddidit. Oliva l. 4. Strom. §. Ejice.

Mane

Mane Thecel Phares. Dan. 5. 25. Vigili si mente notares: rapta restaurares, & meliora dares. Broymard. Rapina.

Filia Sion exultate- quia dedit vobis doctorem justitia; & descendere ad vos faciet imbrem matutinam. Joel. 2. 23. Quæ consequentia est? *dabit doctorem vobis, & vinò torcularia redundabunt?* Monitos nos vult: justitiâ meliùs, quam culturâ, seri arbores, messémque comparari. Non enim Ceres, sed Altraa, campis excubat: quos librâ feliciùs sarrire, quam rastro, potes. Cœlum agri tui, sanctitas, aut scelus est. Si æquas es, rorâsti; si perfidus, fulgurâsti. Oliva l. 1. Strom. §. Exultate.

Beati, qui esuriunt justitiam; beati misericordes. Matth. 5. 6. 7. Nota ordinem verborum: priùs nos ad justitiam accingit, & ad ea reddenda, ad quæ ex justitia obligamur, dum mandat misericordiam. S. Chrysol. hom. 35. in Matth. par erat, ipsum, qui injuriam passus est, misericordiæ opere juvare: nunc verò alios cædis; & quos non cædis, curas: cum æquum sit, illos curare, quos sauciâsti. Pinna Eth. 222.

Meliùs est, rem familiarem minui, quam salutem animæ perire. Meliùs est sponte dimittere; quam id admittere, pro quo omnia dimittenda sunt. S. Hieron. ep. 11.

Vide Avaritia.

TITULUS XIII. RESURRECTIO CHRISTI.

§. I.

Figuræ, Vaticinia, Symbola.

Ex Veteri.

P*Ut abam nos ligare manipulos.* Gen. 37. 7. S. Ambros. l. de Joseph c. 2. in quo Resurrectio Domini revelata est, quem & in Galilæa cum vidissent, undecim adoravere Discipuli; & omnes Sancti, cum resurrexerint, adorabunt, fructus bonorum operum profertentes.

Quærit Isidorus Clarius, cur quadraginta diebus post Resurrectionem Christus in terris manserit? & respondet: quia & ipse suum Pascha habuit, sive transitum. Sicut ergo post exitum ex Ægypto Ex. 16. 35. populus Hebræorum, prius quam in terram promissam, quâ in cœlum ingressus per credentes in Christum faciendus significabatur, ingrederetur, quadraginta annis in deserto moratus est: sic Dominus, cujus mors, atque resurrectio ex mortuis, exitus è Mundo, quasi ex Ægypto, fuit; ut figuræ responderet, diem pro anno, qui mos scripturæ est familiaris, accepit l. 1. or. 3.

Et messueritis segetem &c. Levit. 23. 10. Manipulus spicorum significat Christi Resurrectionem. Unde & altare Sabbathi paulò post immolatum Phasæ offertur: quia duo hi fuere Christi dies; unus Passionis, alter Resurrectionis. Cornelius hic.

Invenit germinasse virgam Aaron. Num. 17. 8. Virga post ariditatem virens, Christus post mortem resurgens: ipsum enim florem, ipsum virgam intelligimus; ut in Virga potestas regnantis, & in flore pulchritudo monstratur. V. Beda hic. Christus in Paschate instar amygdali primò floruit, id est, primò resurrexit: ipse enim, primitia Resurrectionis. S. Gregor. mor. l. 14. c. 29. Apud Cornelium hic.

In Josue gloriam resurgens, cœlumque
Polyant. Sacr. Tom. II.

ingressi triumphum sumus celebraturi; qui nos in terram viventium introduxit; ubi prior ingressus jam non moritur. S. Rupertus Abb. lib. in Jos. 1.

Dormivi, & soporatus sum &c. Ps. 3. 6. S. Ambros. f. 57. tridui tantum temporis spatium, non tam in sepulchro Christus jacuit mortuus; quam, velut in lectulo dormiens, requievit. Ipsa enim temporis brevis declarat; somnum potius fuisse, quam mortem. S. Leo. f. 1. de Resurr. tam velox incorruptæ carnis vivificatio fuit, ut major ibi esset soporis similitudo, quam mortis. Barradius t. 4. l. 8. c. 4. Dom. Pasch.

Ego autem sum vermis. Ps. 21. 7. titulus hujus Psalmi: *in finem pro susceptione matutina.* S. Hieron. ep. 139. & q. 9. ad Helvidiam legit: *pro assumptione matutina.* & addit: matutina assumptio Resurrectionis Dominicæ, & Ascensionis ad Patrem, significat Sacramentum. De Phœnice Petrus Dam. opusc. 52. cap. 11. scribit: quòd Sacerdos Heliopoleos, post phœnicis ferale bultum, cineres curiosè perscrutans; invenit vermiculum valde pertenuem, sed eximii odoris suavitate flagrantem. Secundo die rediens, reperit eum, aviculam, per plumas, & alarum remigia, figurantem. Applicat hæc Christo, qui prius reperitur esse vermiculus, deinde phœnix plumefacta, & in aërem, alarum remigiis armata, sustollitur. Arcones in Is. 4. 2. Disc. 1.

Ad vesperum demorabitur fletus, Christo scilicet moriente; & *ad matutinum letitia,* ipsò resurgente. Ps. 29. 6. Sim. Cass. l. 14. de Resurr. Salvat.

Exurge gloria mea! exurge psalterium, & cythara. Ps. 56. 9. Quid sumus nos, nisi magni Musici Dei quædam instrumenta? unde & in citharis, & in organis, quæ profectò corda, & corpora, nostra sunt, Dominum laudare jubemur. Ipse quoque Dominus no-

Ccc c 2

ster